

ratione entitatis & quidditatis finitae: Ergo possunt cognosci per cognitionem finitam.

73 Dices: Individua convenire univoce in natura speciei, & species in natura generis, quae est unius quidditatis finitae: & ideo possunt per unam cognitionem finitam attingi: omnia autem possibilia non conveniunt univoce in aliqua una natura, ens enim creatum, quod tantum est illis superior, non habet unitatem univocam; unde non est una quidditas, sed omnium quidditatum aggregatio seu collectio, subindeque nequit unam cognitionem finitam terminare.

Sed contra: Licet ens creatum in essendo solum gaudet unitate analogae, in ratione tamen objecti, sufficientem habet unitatem, ut unam possit cognitionem terminare: Ergo solutio est nulla. Antecedens probatur: Non obstante unitate tantum analogae quam habet ens in ratione entis, habet in ratione cognoscibilis unitatem ut unam potentiam intellectivam, & unum Metaphysicam habitum terminat: Ergo pariter sufficientem unitatem habet in ratione objecti cognoscibilis, ad terminandam & specificandam unam cognitionem.

Ex quo impugnetur manet aliud Adversariorum fundamentum: existimant enim implicare totam possibilem collectionem extra verbum quidditatis cognosci; eo quod ad illam requirentur infinitas species in actu, quae sunt impossibiles; vel saltem una quae esset infinite perfecta, utpote qua totum genus entis creabilis representaret, quam etiam dari repugnat. Patet, inquam, ex dictis hujus rationis inefficacia: In primis enim quod ad cognoscendam extra verbum omnia possibilia, non essent necessariae species infinita, constat: si enim non obstante unitate analogae, quam ens creatum & creabile habet in ratione entis, habet in ratione cognoscibilis sufficientem unitatem ad terminandam & specificandam unam cognitionem, illam etiam habebit, ut per unam speciem intellectui creato representari possit.

73 Quod vero species omnia possibilia representans non deberet esse entitativa infinita, etiam ex dictis colligitur: sola enim infinitas objecti in ratione quidditatis, arguit infinitatem in specie, sicut sola haec infinitas in finitatem cognitionis, ut ex D. Thoma supra vidimus. Sed collectio possibilem, etsi coalescat ex quidditatibus infinitis multitudine, non est infinita in ratione quidditatis: Ergo ex infinita multitudine rerum possibilem, non recte colligitur infinitas entitativa in specie quidditativa illius.

Confirmatur: Species representans infinitas alicujus generis species, entitativa infinita non est, quia omnes continentur sub uno genere quidditativo finito, ut docet S. Doctor loco supra citato ex questionibus disputatis: Sed omnes creaturae possibiles continentur sub ratione analogae finitae quidditativae: Ergo possunt representari per speciem entitativam finitam.

Confirm. amplius: Sola species infinito modo representans objectum infinitum, infinitatem ab objecto desumit: Sed species quae representaret collectionem possibilem, non infinito, sed finito modo representaret illam: Ergo non esset infinita entitativa.

§. IV.

Practicae objectiones solvuntur.

74 Obijes primo: Implicat lumen intellectuale, & cognitionem hominis, vel Angeli esse infinita: Sed collectio omnium possibilem, non potest attingi, nisi per lumen, & cognitionem infinitam: Ergo implicat totam collectionem possibilem extra verbum, ab homine vel Angelo cognosci. Major supponitur ex Philosophia, Minor vero sic ostenditur. Objectum infinitum finito lumine & cognitione finita attingi nequit: Sed omnium possibilem collectio infinita est: Ergo non nisi infinito lumine, & cognitione infinita, potest cognosci.

75 Respondeo concessa Majori, negando Minorem, ad cuius probationem dicendum est, quod licet objectum infinitum non possit infinito modo & comprehensive attingi, nisi per lumen & cognitionem infinitam: potest tamen finito modo, & quidditative cognosci, finito lumine, & cognitione finita, ut patet in visione beatifica: beati enim per lumen gloriae finitum, & per visionem finitum finitum, Deum quidditative cognoscunt, quamvis sit infinitum per essentiam. Unde sic arguo: Infinitas Dei est major, quam infinitas collectionis possibilem, cum haec sit tantum infinitas multitudinis, & per participationem, illa vero infinitas per essentiam: At infinitas divina non obstat, quominus Deus possit ab intellectu creato per lumen & cognitionem finitum quidditative cognosci: Ergo nec infinitas collectionis possibilem obstat potest, quin ab intellectu creato per lumen finitum, & finitam cognitionem, quidditative possit cognosci.

76 Obijes secundo: Non potest dari cognitio sine specie representante objectum: Sed nulla potest dari species, quae

omnia possibilia representet: Ergo tota collectio possibilem non potest ab eis extra Verbum cognosci. Major supponitur ex Philosophia, Minor vero ostenditur. Species representans totam collectionem possibilem est actu infinita: Sed implicat dari speciem actu infinitam, cum non sit dabile infinitum in actu: Ergo implicat dari speciem quae omnia possibilia representet. Minor pariter. Major probatur. Species representans omnia possibilia, est ejusdem quidditatis cum tota possibilem collectione: Sed collectio possibilem est infinita: Ergo species omnia possibilia representans, esset actu infinita.

Respondeo concessa Majori negando Minorem, & ad eius probationem, nego Majorem: species enim representans totam collectionem possibilem, non esset actu infinita, sed finita. Ad probationem autem in contrarium, nego etiam Majorem; non enim recte colligitur infinitas speciei omnia possibilia representantis, ex infinitate objecti quod representaret. Tum quia illud finito modo representaret: ut autem ex objecto infinito, infinitas derivetur ad speciem: debet modo infinito, infinitaque efficacia tale objectum attingere; ut constet in actu caritatis, habente pro objecto Deum, a quo tamen infinitam dignitatem non accipit, quia vis seu perfectio infinita objecti, impeditur a limitatione, conatus, & virtutis operative, ne infinitatem in talem actum transfundat. Tum etiam, quia omnia possibilia representantur a specie, ut statet sub quidditate finita, cujus oppositum necessarium erat, ut infinitas objecti transunderetur ad speciem, ut supra dicebamus loquentes de cognitione.

78 Dices: Non fiat Deum quidditative contineri in specie finito modo ipsum representante, quia Deus infinitus est: Sed collectio possibilem etiam est infinita: Ergo nequit quidditative contineri in specie illam representante modo finito.

Respondeo distinguendo causalem Majoris: Quia infinitus est, utcumque, nego Majorem. Quia infinitus est in ratione quidditatis, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: Collectio possibilem est infinita in multitudine, concedo Minorem. In ratione quidditatis, nego Minorem, & Consequentiam.

Ratio autem discriminis inter utrumque genus infiniti est duplex. Prima, quia species quidditative representans objectum, debet esse ejusdem immaterialitatis cum illo, saltem quoad gradum, ut disp. 2. art. 1. ostensum est: Implicat autem speciem finitam convenire cum Deo in gradu immaterialitatis; quia, ut ibidem dicebamus, gradus immaterialitatis divine, nempe materiam physicam, verum etiam metaphysicam, id est potentialitatem omnem excludit: quae exclusio nulli entitati creatae & finitae potest competere: non autem repugnat entitati finitae, cum tota collectio possibilem, quantumvis sit infinita, in gradu immaterialitatis convenire; & ideo non repugnat entitati finitae, totam collectionem possibilem representare quidditative.

Secunda ratio discriminis est, quia species quidditativa petit univocam convenientiam cum objecto representato, ut loco citato cum D. Thoma demonstravimus: repugnat autem convenientia univoca entitatis finitae cum Deo, non autem cum tota collectione possibilem; & ideo implicat quod species entitativa finita, representet Deum quidditative, non autem quod species finita entitativa, totam collectionem possibilem quidditative representet.

79 Obijes tertio: Si cognitio omnium possibilem extra Verbum, esset possibilis, deberet attribui anime Christi, cum ipsi tribuenda sit omnis perfectio possibilis, cum majori perfectione non incompossibilis, ut docent Theologi in Tractatu de Incarnatione: Sed cognitio omnium possibilem extra Verbum, anime Christi non conceditur a Theologis, immo ipsi expressè denegatur a D. Thoma, quest. 20. de verit. art. 5. ad 1. verbis supra in prima probatione conclusionis relat. Ergo talis cognitio possibilis non est.

80 Respondeo negando sequelam Majoris, est enim inconveniens quod plura cognoscantur ab anima Christi Domini, per scientiam rerum extra Verbum, quam per cognitionem rerum in Verbo: unde cum anima Christi non cognoscat in Verbo, per scientiam beatam, totam possibilem collectionem, ut §. 1. ostendimus, dicendum est quod pariter illam non cognoscat extra Verbum, per scientiam infusam. Ad probationem in contrarium dico, quod licet anime Christi tribuenda sit omnis perfectio possibilis, quae illius modo contrariatur operandi non opponitur; illa tamen quae modum contrariatur operandi ipsius non servat, ei concedenda non est: talis autem est omnium possibilem cognitio extra Verbum, quia ut docet D. Thomas 3. p. q. 11. art. 4. contrarium est anime Christi, ut recipiat species minus universales, quam illae quae fuerunt indite mentibus Angelorum; unde cum omnium possibilem cognitio haberi nequeat ab anime Christi, absque specie in illa recepta quae universalior sit speciebus mentibus Angelorum infusis, cognitio totius collectionis possibilem extra Verbum, non est consentanea contrariatur modo operandi anime Christi.

ARTI.

ARTICULUS VI.

Deus ut est in se videri potest, nulla visa creatura possibilem in particulari?

Vasquez hic disp. 50. cap. 4. in eo dicit esse repugnantiam, quod ex una parte Thomista afferunt videri creaturas in Deo, ex vi visionis divinae essentiae, & ex altera dicunt videri Deo posse nullam creaturam possibilem in particulari videri. Nihilominus

Dico breviter, non implicare quod Deus ut in se est videatur, nulla visa creatura possibilem in particulari.

81 Probatur: Omnipotentia divina multo magis est absoluta & independens a qualibet creatura in particulari, quam virtus vel potentia creata, a suis effectibus, vel objectis materialibus: & quidditative cognosci, non videri in se videri, & quidditative cognosci, aut objectis materialibus; in particulari illarum virtutum, quam possimus quidditative cognoscere, tamen nullum colorem in particulari ab ea videri percipimus: Ergo a fortiori potest Deus quidditative cognosci & videri ut in se est, nulla visa creatura possibilem in particulari.

82 Confirmatur primo: Ad cognoscendam quidditative omnipotentiam divinam, non debent omnes creaturae possibilem in particulari in ea cognosci; alioquin illa non possit videri & quidditative cognosci, nisi comprehenderetur: Ergo neque aliqua determinate debet videri. Consequentia patet, non est enim major ratio, cur una potius debeat videri, quam altera.

Confirmatur secundo: Divina essentia est ratio cognoscendi creaturas possibilem, ad eum modum quo principium demonstrationis est ratio cognoscendi conclusiones, ut docet D. Thomas hic art. 8. nam creaturae possibilem sunt tantum virtualiter aut eminenter in Deo, sicut conclusiones in principio: Ergo sicut principium alicujus demonstrationis clare in se videri potest, nulla visa conclusione in particulari & determinate; ita & divina essentia, nulla visa creatura possibilem. Quare idem S. Doctor ibidem in resp. ad 4. Si solus Deus videretur qui est sibi totus esse & veritatis, ita videretur naturale desiderium sciendi quod nihil aliud quaveretur, & videns Deum esse beatus. Unde dicit August. 5. Confess. cap. 4. Infelix homo qui seipsum esse illa, scilicet creaturas, se autem nescit. Beatus autem qui se scit, etiam si illa nesciat. Qui vero se & illa novit, non propter illa beatus est, sed propter se solum beatus.

83 Obijes primo: Si aliqua ex creaturis in particulari redderetur impossibilis, omnipotentia Dei deficeret: Ergo illa est connexa cum possibilitate cujuslibet creaturae in particulari, & consequenter non potest in se videri & quidditative cognosci, nisi creaturae possibilem in particulari videatur.

Respondeo, quod licet deficeret omnipotentia Dei ex defectu alicujus creaturae possibilem, non quidem per locum intrinsecum, sed extrinsecum, id est ab extrinseco & a posteriori colligeretur destructa) tamen ad illam quidditative cognoscendam, non requiritur quod in particulari constet, hanc vel illam creaturam esse possibilem (alioquin, ut supra dicebamus, deberent cognosci omnes creaturae possibilem in particulari: cum non sit major ratio cur una potius debeat cognosci, quam altera) sed sufficit quod constet totam collectionem creaturarum in communi esse possibilem, & nullam ex illis reddi posse impossibilem.

84 Obijes secundo: Si daretur aliqua visio beata quae nullam creaturam in particulari videret, talis visio esset omnium possibilem minima, nullumque haberet gradum intensivum: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris probatur: Visio beata dicitur major vel minor, intensior aut remissior, ex hoc quod plures vel pauciores creaturas possibilem in essentia divina clare visa cognoscat: Ergo si sit possibilis aliqua, quae nullam omnino in particulari attingat, erit omnium minima, & absque ullo gradu intensivum.

Respondeo negando sequelam Majoris, intentio enim vel remissio visionis beatificae, non attenditur solum per hoc quod plures vel pauciores creaturas possibilem in essentia divina cognoscat, sed etiam per hoc quod magis vel minus clare essentiam divinam, ejusque attributa videat: unde si daretur aliqua visio, quae nullam creaturam possibilem in particulari cognosceret, non esset tamen omnium minima, quia possit dari alia, quae minus clare & perfecte divinam essentiam, ejusque attributa cognosceret.

85 Ad perfectam tamen nostrae assertionis intelligentiam, & plarium argumentorum solutionem, observandum est, quod licet Deus ut in se est videri possit, nulla visa creatura possibilem in particulari, non potest tamen quidditative cognosci, nisi videatur ratio entis possibilem & creabilis in communi: necessario enim videri debet ejus em-

nipotentia, scientia simplicis intelligentiae, & eminentialis continentiarum creaturarum, quae sine ratione entis creabilis & possibilem in communi cognosci nequeunt. Item non potest videri in Deo ratio ideo & exemplaris, nisi videatur ideatum in communi, & ipsa divina essentia, ut imitabilis & participabilis a creaturis.

ARTICULUS VII.

Quas creaturas de factis beati videant in verbo, & unde diversitas eas videndi proveniat?

§. I.

Prima pars: quas res solvitur.

Dico primo: Beati vident in Verbo omnia mysteria nostrae fidei.

Probatur conclusio primo, quia visio beatifica est dos 86 animae, succedens fidei, sicut comprehensio spei, & fructio caritatis, unde ea omnia quae nobis hic obscure videntur per fidem, beatis in patria manifestantur in Verbo, juxta illud Prophetae Psalm. 47. Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum. Cui etiam consonat illud August. 20. de civit. cap. 21. quid videmus nisi Deum, & omnia illa quae nunc non videmus credentes.

Secundo, Propositus rebus fidei, iuste & rationabiliter 87 quilibet fidelis desiderat illas videre; unde cum beatitudo sit perfecta quies, & integra fatigata omnium iustorum desideriorum, beati in essentia divina clare visa, vident omnia mysteria quae hic in via per fidem crederent.

Tertio, Cum Theologia nostra sit subalternata scientia 88 Dei & beatorum, & scientia subalternata appetit ad sui perfectionem conjungi subalternanti, & in tali conjunctione habere evidentiam suorum principiorum, ut exposuimus art. 2. disputationis proemialis: oportet quod Theologia nostra habeat in patria evidentiam mysteriorum fidei, quae sunt principia, ex quibus (ut est in nobis viatoribus) suas conclusiones deducit.

Advertendum tamen est primo, quod licet beati vident 89 in Verbo omnia mysteria fidei, quantum ad substantiam, non tamen est necesse, quod illa videant, quantum ad omnes circumstantias temporis & loci, ut constat de resurrectione, & ultimo iudicio, de quo dicitur Marci 13. De die autem illa nemo scit, neque Angeli Dei in caelo. Item licet Angeli a principio visio beatitudinis cognoverint in Verbo mysterium Incarnationis, quantum ad substantiam, ut docet S. Thom. p. 1. q. 57. art. 5. ad 1. & 2. q. 2. art. 7. ad 1. non tamen secundum omnes rationes, aut circumstantias illius, sed processu temporis de illo fuerunt edocti, non quidem intra Verbum (cum visio intra Verbum invariabilis sit, & non crescat successu temporis, ut infra dicemus) sed extra Verbum, per speciales revelationes, & illustrationes. Unde S. Dionysius 7. c. caelestis Hierarchie inducit caelestes mentes, q. facientes anime Christi, de suscepto pro nobis opere, & ipsum Jesum eas docentem ac illuminantem.

Advertendum est etiam, illa mysteria quae in unico tantum individuo complentur, ut mysterium Incarnationis, maternitas Beatae Virginis, & similia, visio illo individuo in essentia divina videri; illa vero quae complentur in pluribus individualibus, licet videantur omnia, non tamen videbuntur in unoquoque individuo. Et sic licet omnes beati videant sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, non tamen vident omnes hostias quas quotidie consecrant sacerdotes. Et quamvis omnes videant mysterium Resurrectionis, non tamen videbunt omnes resurrexerunt, saltem omnes damnatos; nam quantum ad beatos, rationale est ut se omnes videant, & diligant, utpote socios, & confortes ejusdem beatitudinis.

Dico secundo, Quilibet beatus videt in essentia divina 90 totam universum, prout includit suas partes principales, ut caelum, & elementa, ac omnia genera omnemque species rerum creaturarum, tam spirituum, quam corporaliu, cum ipsarum proprietatibus; & tandem omnia singularia, quae per se pertinent ad ornamtu & perfectionem universi, & sunt partes principales illius. Ita docet D. Thomas hic art. 8. ad 4. his verbis. Naturale desiderium rationalis creaturae est ad sciendum omnia illa quae pertinent ad perfectionem intellectus. Et haec sunt species & genera rerum & rationes earum, quae in Deo quilibet videtur videns essentiam divinam.

Laculentius eandem veritatem declarat 3. contra Gentes 92 cap. 59. ratione 1. his verbis. Quia visio divina substantia est ultimus finis cujuslibet intellectus substantiae, omnis autem res cum pervenerit ad ultimum finem, quiescit appetitus ejus naturalis; oportet quod appetitus naturalis substantiae intellectualis divinam substantiam videns omnino quiescat. Et hanc appetitus naturalis intellectus videns omnino quiescat. Et hanc appetitus naturalis intellectus videns omnino quiescat. Et hanc appetitus naturalis intellectus videns omnino quiescat. Et hanc appetitus naturalis intellectus videns omnino quiescat.



*degnoscit omnia supra dicta. Quibus verbis, & docuit, & probavit nostram conclusionem, quam ibidem ratione tertia confirmat, ex eo quod Dominus Moysi petenti divina substantia visum, respondit, Ego gloriam sibi unum donavi. Et ex illo magis Gregorii 4. dialogorum cap. 8. Quid est quod visum est quod scilicet omnia sciunt, quod scilicet intelligi debet de omnibus quae pertinent ad hoc universum.*

93 Ex quibus colligitur primo, quod cum ex D. Thoma beatus Angelus distinguitur specie ab invicem, quilibet beatus videt omnes & singulos Angelos, non solum bonos, quos videt etiam titulo societatis beate, sed etiam malos & damnatos. Videbit etiam quilibet beatus in caelis omnia sidera, stellas, omniumque corporum caelestium constitutiones & motus: sive distinguantur specie (quod probabilis est) sive solum distinguantur numero, ut aliqui volunt, quia haec pertinent ad ornatum & integritatem universi, & sunt partes principales illius.

94 Colligitur secundo, quod quia singularia materialia & corruptibilia, non pertinent simpliciter ad perfectionem universi, nec intenduntur per se primo, sed tantum secundario, & propter conservationem speciei quae in uno individuo corruptibili conservari non potest, illa omnia non cognoscuntur a beatis in Verbo, nisi forte spectent ad eorum statum. Unde S. Thom. hic art. 8. ad 4. *Cognoscere singularia non est de perfectione intellectus creati, nec ad hoc ejus naturale desiderium tendit.*

95 Dico tertio: Beati vident in Verbo ea quae pertinent ad proprium statum, non tamen omnia, sed aliqua cognoscunt extra Verbum, per revelationem & illuminationem.

96 Prima pars probatur. Ut enim supra diximus, beatitudo perfecte fitur debet omnem appetitum justum creaturae rationalis, unde cum beati habeant inclinationem & appetitum ad cognoscenda ea quae pertinent ad proprium statum, ea debent in Verbo cognoscere.

97 Confirmatur & magis illustratur haec ratio. Beatus tripliciter potest considerari: primo ut est elevatus ad ordinem gratiae, secundo ut est pars universi, tertio quatenus est talis persona particularis, & quatenus est vel fuit in tali dignitate constitutus. puta Rex, Summus Pontifex, Patriarcha Religiosis, paternus familiae &c. Et secundum haec triplicem considerationem, diversis appetitibus cognoscere objecta. Primo enim modo potest cognoscere mysteria fidei, ut gratiam, lumen gloriae, suam praedestinationem, mysterium Incarnationis, Eucharistiae, &c. Secundo modo potest cognoscere species & naturas, ac partes principales horum universi, ut Angelos, calos, elementa &c. Tertio modo potest cognoscere ea quae pertinent ad suum statum: v. g. D. Gregorius, quia fuit Summus Pontifex, appetit cognoscere ea quae pertinent ad statum praesentem vel futurum Ecclesiae, S. Dominicus ea quae pertinent ad statum sui Ordinis, S. Ludovicus ea quae pertinent ad statum Regni Franciae: unde cum in beatitudine sit perfecta quies, & integra fatietas omnium iustorum desideriorum, dicendum est beatos cognoscere in Verbo, non solum mysteria fidei, & partes principales horum universi, sed etiam ea quae pertinent ad proprium ipsorum statum.

98 Ex quo inferes, quod Beatissima Virgo multa plura videt in Verbo, quam alii sancti, quantum ad preces & cogitationes hominum: cum enim sit Advocata fidelium & Mater misericordiae, debet ut in pluribus videre statum fidelium, ut eis prodesse possit. Videre autem omnia statum contingunt, & omnes actus liberos, & cogitationes cordis, pertinet ad solum Christum, qui cum sit constitutus a Deo iudex omnium hominum, quia filius hominis est, ut dicitur Joann. 5. debet cognoscere omnes homines iudicandos, & singulos eorum actus, cum omnibus circumstantiis, ut possit de illis rectum proferre iudicium, ut docet S. Thomas 3. p. q. 10. art. 2. ubi sic dicitur: *Unusquisque intellectus creati in verbo cognoscit, non quidem omnia simpliciter, sed tanto plura, quanto perfectius videt verbum. Nulli tamen intellectui beato dicitur, quin cognoscit in verbo omnia quae ad ipsum spectant: Ad Christum autem & ad eius dignitatem spectant quaedam omnia, in quantum ei subiecta sunt omnia. Iste etiam est omnium iudex constitutus a Deo, quia filius hominis est, ut dicitur Joann. 5. Et ideo anima Christi in Verbo cognoscit omnia existentia secundum quodcumque tempus, & etiam hominum cogitationes, quorum est iudex: ita ut quod de eo dicitur Joann. 2. Iste sciebat quid esset in homine, potest intelligi non solum quantum ad scientiam divinam, sed etiam quantum ad scientiam animae ejus quae habet in Verbo.*

99 Dices, Si quilibet beatus in Verbo cognosceret ea quae pertinent ad proprium statum, sequeretur, minus beatum, interdum in Verbo plura cognoscere, quam magis beatum, quia potest contingere quod plures creaturae ad ejus statum pertineant, v. g. si sit fundator alicujus Religionis: Sed hoc videtur absurdum, cum enim quo plures creaturae in Verbo videntur, eo visio beatifica sit perfectior, repugnat quod minus beatus plures creaturas in Verbo cognoscit, quam magis beatus.

Respondeo primo negando sequelam Majoris, quia in tali casu compensatur visio illa tot individuum, quae ab illo fundatore videntur, visio aliorum quae vel erunt in equali numero, ut sic aequentur visiones, vel licet fortis in numero sequerentur, illa tamen in perfectione excedent.

Respondeo secundo, concessa Majori, negando Minorem ad casum probationem, dicendum est, dupliciter creaturas posse cognosci in Verbo: primo ex vi luminis gloriae, quod patet cognoscuntur in Verbo creaturae possibiles, ut supra ostendimus, secundo ex vi luminis gloriae, ut eminenter quodam modo continet lumen propheticum, & habet vim manifestandi per modum revelationis ea quae Deus libere vult manifestare, ut exposuimus art. 3. Cognoscere ergo plures creaturas in Verbo primo modo, arguit excellit in beatitudine essentiali, & in clara Dei visione, secus autem cognitio creaturarum in Verbo, secundo modo, & ex vi revelationis, quo patet cognoscuntur a quolibet beato ea quae pertinent ad proprium statum; immo, ut statim dicemus, probabile est beatos plura ad proprium statum pertinentia, per revelationem extra Verbum cognoscere.

Probatur ergo secunda pars contra aliquos qui docent beatos omnia quae ad eorum statum pertinent in Verbo cognoscere; Si beati in Verbo viderent omnia quae pertinent ad eorum statum, ac scientiam ab initio beatitudinis, & non per successionem temporum, cum visio beata sit immutabilis, & tota simul, & non crescat per successionem, ut sequenti disputatione dicemus: Ad constat Angelos circa ea quae accidunt regnis, vel provinciis, vel hominibus suae cure commissis (quae utique ad proprium illorum statum pertinent) non semper omnia scire a principio beatitudinis, sed dari locutionem, & illuminationem inter ipsos Angelos, ut docent in Tractatu de Angelis, & constat ex Danielis 10. ubi Angelus Persarum, & Angelus Judaeorum, dicuntur inter se altercari, pugnare, & litigare (contrarietate rerum, non voluntatum, ut explicat S. Thomas infra q. 113. art. 8.) quia scilicet adhuc illis ignota erat voluntas divina circa liberationem Judaeorum: Ergo beati non vident in verbo omnia quae pertinent ad illorum statum, sed aliqua extra Verbum per revelationem cognoscunt.

Confirmatur, & magis illustratur haec veritas, egregio D. Thome testimonio, desumpto ex 4. sent. dist. 49. q. 2. art. 5. ad 12. ubi sic habet: *Nihil prohibet dicere quod post diem iudicii, quando gloria hominum & Angelorum erit penitus consummata, omnes beati scient omnia quae Deus scientia visionis videt; tamen quod non omnes omnia vident in essentia divina, sed anima Christi ibi plane videt omnia, sicut & nunc videt: alii autem vident ibi plura vel pauciora, secundum gradum quo Deum cognoscunt; & sic anima Christi, de his quae per alios vident in verbo, omnes alias illuminabit. Unde dicitur Apocalypsi 21. quod claritas Dei illuminabit civitatem sanctorum; & lucerna ejus erit signum. Et similiter Angeli superiores illuminabunt inferiores, non quidem non illuminatione, ne scientia inferiorum auferatur per hoc, sed quaedam continuatione illuminationis, sicut si intelligatur quod sol quiescens illuminat aerem. Quibus verbis clarissime docet quod beati post diem iudicii, multa quae pertinent ad abundantiorum gloriam, videntur formaliter in Verbo; quadam vero extra Verbum, ut pertinentia ad gloriam accidentalem, per illuminationes quae fiunt a superioribus praesertim ab anima Christi, videntur in Verbo omnia quae Deus cognoscit in seipso per scientiam visionis. Unde Cajetanus 2. 2. q. 83. art. 5. dicit aliquid posse cognosci per visionem beatam dupliciter. Primo formaliter, & hoc modo cognoscitur a beatis quidquid vident initio suae beatitudinis. Secundo casualiter, quatenus ex scientia beata, tanquam proprietate resultat scientia inferior, quae insula dicitur, per quam cognoscunt successive quidquid per illuminationem excipiunt. Altero ergo est his duobus modis cognoscunt beati in patria quae pertinent ad proprium statum, ac proinde omnes preces ac orationes ad ipsos, futuras, vel fundandas. Unde quando D. Thomas dicit 3. p. q. 10. art. 2. quod nulli beato dicitur quin cognoscit in Verbo omnia quae ad ipsum spectant, intelligi debet beatum ea in Verbo cognoscere, vel formaliter, vel casualiter. Vel etiam dicit potest, illum loqui de his quae spectant ad statum beati directe, per se, qualia sunt ea quae in ipso beatitudinis statu ipse agere debet (haec enim probabile est, beatos in Verbo videre) non autem de his quae per accidens tantum & indirecte ad ejus statum pertinent, qualia sunt ea quae apud nos aguntur, & orationes quae ad eos fiunt, aut persone quae illorum patrocinio & custodia committuntur, nam illa omnia non videntur a beatis in Verbo, sed extra Verbum, per speciales revelationes, multo probabilibus est, ut sic dicitur locus in multis consultationibus divinae sapientiae, & illuminationis superiorum Angelorum ad inferiores.*

§. II.

*Altera difficultas respicitur, & declaratur, quoniam sunt causa, a quibus provenit diversitas videndi creaturas in verbo.*

101 Dico quarto: Causa cur plures vel pauciores creaturae possibiles, a beatis in visione luminis gloriae, ratio vero cur haec creaturae possibiles in particulari potius quam alia cognoscantur, potitur ex ipsa natura creaturarum; quia quaedam sunt de se latentes, quaedam manifestiores; & ita quaedam majori luminis proportionatae sunt, quaedam minori.

102 Prima pars conclusionis sequitur ex principiis supra statuis: Cum enim creaturae possibiles, in essentia divina tanquam in causa, & medio prius cognito videantur; ratio videndi plures vel pauciores creaturas possibiles, est major vel minor penetratio divinae essentiae penetratio cognita: Sed major vel minor divinae essentiae penetratio, oritur ex majori vel minori intensione luminis gloriae; Ergo causa cur plures vel pauciores creaturae possibiles a beatis in verbo videantur, sumitur ex majori vel minori intensione luminis gloriae.

103 Secunda pars docetur a D. Thoma q. 8. de verit. art. 4. ad 12. ubi loquens de cognitione creaturarum possibilium in verbo, dicit: *Quaedam sunt latentes, quaedam manifestiores; & ideo ex visione divina essentia quaedam cognoscuntur, quaedam non. Ratio enim illi fuerit. Ita enim se habet causa ad manifestandos effectus, sicut principium ad inferendas conclusiones; unde sicut ex principiis demonstrationis, statim aliquae conclusiones eliciuntur: quaedam vero non nisi per multa media, quia sunt ab illis magis remotae: ita enim quaedam sunt effectus in divina essentia manifestiores, qui ea visa, statim cognoscuntur a lumine gloriae, quamvis remissio; alii vero latentes, qui ut videantur indigent lumine gloriae magis intenso, & divinum naturam intimius penetrant.*

104 Qui vero effectus manifestiores, & qui latentes sint, varie ab Autoribus explicatur. Aliqui existimant creaturas esse latentes, vel manifestiores, ob majorem vel minorem perfectionem & entitatem. Alii: ob majorem vel minorem convenientiam & similitudinem cum Deo. Alii sentiunt, illos esse effectus manifestiores, qui majorem habent proportionem cum intellectu, & modo intelligendi beatorum, latentes autem qui magis ab hac proportionem recedunt. Alii denique dicunt, illam creaturam debere dici latentiorem in Deo, & requirere perfectius lumen ut videatur, quae cognoscitur non solum quoad est, & quasi superficialiter, sed etiam quoad quod est, & penetrando omnes rationes intelligibiles, secundum quas subest divinae providentiae.

105 Dico quinto: Causae proximae, & intrinsecae, a quibus provenit diversitas videndi haec creaturas existentibus, vel rursus in verbo, potius quam alias, sunt lux gloriae, & divina essentia, in ratione speciei intelligibilibus, intellectui beatorum diversimode applicata ac determinata, juxta exigentiam luminis, ad representandas has potius creaturas quam alias.

Colligitur ex D. Thoma variis in locis: nam hic art. 6. & 7. & 3. contra Gentes cap. 57. reducit diversitatem visionis beatae, ad diversitatem luminis gloriae. Et q. 8. de verit. art. 4. ad 2. recurrit ad diversam applicationem divinae essentiae, in ratione speciei, quae semper comitatur proportionem luminis gloriae.

106 Probatur etiam conclusio ratione. Principia intrinseca visionis beatae (id est intra intellectum existentia) sunt lumen gloriae, & essentia divina per modum speciei intelligibilis intellectui beatorum unita, ut supra declaratum est: Unde cum diversitas cognitionis peti debeat ex principis intrinsecis ad illam concurrentibus, etiam diversitas videndi haec creaturas potius quam alias, sumi debet ex differentia individuali luminis gloriae, & ex unione essentiae divinae, ut speciei intelligibilis, quae juxta proportionem luminis, plus vel minus se manifestat beatis, & est ratio videndi plures vel pauciores creaturas.

Dico ultimo: Causae extrinsecae & remotae, cur aliqua creatura existentibus vel futura videatur a beatis, potius quam alia, sunt status ejuslibet beati, & voluntas Dei applicans & determinans convenientiam divinam in ratione speciei, ad representandum has creaturas potius quam alias.

107 Prima pars conclusionis evidens est: ut enim ostendimus §. precedenti, visio beata, cum sit perfecte fatiata omnia illi desiderii, manifestat beatis omnia quae pertinent ad proprium illorum statum: Unde cum ad statum ejuslibet beati, aliqua creatura in particulari pertineat, ut antea declaravimus, status ejuslibet beati est causa extrinseca, & remota, cur haec potius quam alia creatura in Verbo cognoscatur.

Addo quod, sicut caritas recepta in Petro magis ipsum Theol. Gonet, Tom. I.

inclinat ad seipsam amandum, quam aliam; & sicut virtus fortitudinis, licet sit ejusdem speciei in viro, & in muliere, inclinat tamen virum ad aggrediendum hostes, non feminam, quia hoc non decet statum ipsius. Ita etiam lumen gloriae perficit, & inclinat subiectum in quo recipitur, secundum modum, & capacitatem ipsius; & determinat intellectum beati, ad videndum has creaturas potius quam alias, secundum quod postulat proprius ejuslibet status: Ergo status quoslibet beati, est causa veluti intrinseca, a qua oritur diversitas videndi in Verbo haec creaturas potius quam alias.

Secunda vero pars, quae asserit talem diversitatem peti 108 etiam ex libero decreto divinae voluntatis: divina essentiam in ratione speciei intelligibilis, intellectui beatorum diversimode applicantis, evidens est. Cum enim essentia divina, ut generis vices speciei, non fit ex se determinata, sed indifferens ad representandum has potius quam illas creaturas, debet extrinsece determinari, & applicari per decretum divinae voluntatis, ad representandas tales creaturas potius quam alias, juxta exigentiam luminis gloriae, & meritum ac statum ejuslibet beati. Et ideo essentia divina vocari solet speculum voluntarium, quia non representat nisi ea quae Deus vult & ordinat, & nisi ut applicata, & determinata, per liberum decretum voluntatis divinae: sicut divina omnipotentia non determinat ad haec potius quam illa producenda, nisi ratione ejusdem decreti.

DISPUTATIO VI.

De mensura visionis beatificae.

AD complementum hujus Tractatus, supersit ut de mensura visionis beatificae differamus; & durationem per quam illa mensuratur, breviter explicemus. Unde sit

ARTICULUS UNICUS.

Quoniam sit mensura visionis beatificae?

§. I.

Præmittenda ad resolutionem quaestionis.

Suppono primo, visionem beatificam esse omnino invariabilem, & quaecumque videatur a beatis in Verbo, non successive sed simul videtur.

Ita docet D. Thomas hic art. 10. & 3. contra Gentes cap. 60. & colligitur ex SS. Patribus: Augustinus enim 15. de Trin. cap. 16. loquens de visione beata, *Non erant, inquit, volubiles nostrae cogitationes, ab illis in alia euntibus atque redeuntibus; sed omnem scientiam nostram simul una conceptu videbimus.* Item docet D. Bernardus 6. de consid. cap. 13. ubi sic habet: *Non enim una fragilis acies mentis nostrae, quantumvis unquam volenter intendens, aliquatenus distillat, resistit in suam pluralitatem; colligit si magis, admirabit, confirmabitque unitati illius, vel potius unitati illi.*

Eadem veritas significari videtur Isaia 6. cum enim dixisset Propheta, quod *Seraphim stabat* (scilicet ante thronum Dei) statim subiungit: *sic als erant uni, & lex als alteri, & dantes volubant:* quae verba expendens idem Bernardus ferm. 4. de verbis Isaia: *Ad quid (inquit) tunc als, si stant? Cui interrogationi sic respondet: Crede autem, sicut in volatu alacritatem sic & in statione immobilitatem promittit.*

Probatur etiam eadem suppositio triplici ratione quam habet D. Thomas locis citatis. Prima est quia beati omnia quae vident in Verbo, vident in unica specie divina essentiae: ea autem quae videntur in unica specie, videntur simul, & non successive. Quam rationem etiam tangit D. Bernardus ferm. 31. in Cant. ubi loquens de excellentia divinae visionis, sic ait: *Ille visio stat, quia forma stat, quae tunc videtur: est enim, nec ullam capis ex eo quod est, fuit, vel erit mutationem.*

Secunda ratio est: Felicitas perfecta (qualem habent beati in visione Dei) non est secundum habitum, sed secundum actum, ut dicit Aristoteles 10. Ethic. Ergo non unum prius, & aliud posterius, sed omnia simul & tempor, secundum actum, & in uno actu videntur a beatis.

Tertia ratio quoniam etiam adducta S. Thomas locis citatis, sic potest proponi. Unaqueque res, cum venerit ad suum ultimum finem, quiescit, cum omnis motus sit ad acquirendum finem: Sed ultimus finis intellectus, est visio divinae essentiae: Ergo intellectus in aliud, fed omnia quae per hanc visionem cognoscit, simul actu considerat.

Suppono secundo, tres esse mensuras durationis rerum: 3 scilicet aeternitatem, avum, & tempus. Aeternitas est mensura